

Coniectanea critica.

(Continuata ex vol. XV p. 289—315.)

11.

Mercatoris Plautinae prima scaena Acanthio servus inducitur a portu domum cursans ut filio erili conspicuum amicum eius patrem esse nuntiet. Vbi lassus advenit, pultantem fores et ut aperiantur flagitantem Charinus postquam paulisper auscultavit accedit v. 131:

Ecco me

Acanthio, quem quacris. AC. Nusquamst disciplina
ignavior.

CH. * * AC. * * CH. Quae te malae res ita
agitant?

Ita indicatam Ritschelius lacunam in adnotatione explevit: 'CH. Non me vides? AC. ah salve, ere.' A quo dissentiendum mihi videtur: fit autem non numquam ut adversus summos illos viros disputemus, a quibus et olim didicimus et cotidie nos discere nobis consci sumus, qua in re si quid recte dixisse iudicemur, aequi id bonique volumus consuli, sin peccarimus, castigari errores libenter patiemur. Neque enim mihi veri simile est ab servo quem studiose et enixe quaerit erum minorem iam adgredientem et adloquentem non audiri, nec veri similius qui tam acriter ac vivide v. 130 sq. exclamavit 'aperite aliquis. ubi Charinus erus est? domine est an foris? num quisquam adire ad ostium dignum arbitratur?' eum non auditis Charini verbis sine omni calore et vehementia orationis haec de familia continuare 'nusquamst disciplina ignavior': quam cogitationem si tunc in mentem venisset certe sic expressisset 'num usquam tam ignava disciplina est?' Frigere igitur aliquantum Ritscheliana supplementa puto. Promptus vero et probabilis hic rerum verborumque ordo est ut iam dudum animi pendens (v. 127) Charinus simul adloquatur servum et quae res malae eum agitent exquirat, servus autem nullo ad salutem dicendam relicto spatio raptim effundat 'multae hercle temet atque me' et 'perimus'. Itaque versus 132 et 133 contrahendos in unum esse arbitror:

Ecce me

Acanthio quem quaeris. Quae te res malae agitant — — — ?
 quamquam de scriptura posterioris partis dubito. Nam
 quae ante scripsi cum in *B* (*res mala*) sint, sic pos-
 sis servare: 'ita agitant novae', ceteri autem libri quoniam
malae res hoc ordine testantur, secundum Ritschelium
 'Quaenam te malae res ita agitant' conicere licet. At illa
 quae delevi 'nusquamst disciplina ignavior' quemadmodum
 huc aberraverint, non inepte mihi explicare videor. Et enim
 cum omnes Plauti fabulae interpretum librorumve lusum
 expertae sint, tum maxime Mercatori vetustum grammati-
 cum retractandae et interpolandae operam dedisse praefati-
 onis p. VII ss. clare Ritschelius demonstravit. Cuius in-
 dustriam magnam partem in congerenda similium multitu-
 dine versatam esse exempla p. IX composita declarant. Hac
 re verba illa 'nusquamst disciplina ignavior' antiquam mihi
 persuadetur 'dittographiam' esse spectantem ad v. 115 quo
 non decedentes properanti de via homines Acanthio in-
 dignatur 'haec hic disciplina pessumast'.

V. 195 Charinus postquam amicam suam a patre visam
 esse comperit haec conqueritur :

Nequiquam mare subterfugi, saevis tempestatibus

* * * * *

equidem me iam censebam esse in terra atque in
 tuto loco:

verum video me [iterum] ad saxa ferri saevis fluctibus.
 Vbi intercidis post versum 195 talem fere versiculum:

adflctatus multum, summis me exemi ex periculis
 consentio cum Ritschelio (cf. Militis v. 414). Idemque vere
 sententiam versus 198 redintegrasse putandus est cum *ite-*
rum vocabulum insereret omissum a librariis conlato Mo-
 stellariae v. 677 'Iterum iam ad unum saxum me fluctus
 ferunt'. Verba autem num recte restituerit et ego ambigo
 et ipse ut videtur ambigebat displicere iteratum *saevis* ad-
 notans. Quod sane nemo facile toleraverit. Olim igitur
 v. 195 *saevis tempestatibus* prave traditum esse suspicabar
 quia in *B* *subt' atuis temptatibus* legitur: in quibus *atuis*
 licet *atuorsis* interpretari velut Menaechmorum v. 487 *adū-*
sum vel Militis v. 650 *pūto* noto compendio et *at* pro prae-
 positione saepius in *B* scriptum est. Sed quantivis vetus
 codex Camerarii pendendus sit, unius illius auctoritatem
 reliquorum librorum communi testimonio in hoc quidem
 versu non ausim praeferre. Immo in versu 195 nihil com-
 mutandum censeo, depellendum vero ex versu 198 inutile
 illud *saevis*, quo quam non moleste careamus, geminum huic

translationi Mostellariae exemplum demonstrat. Intrusum glossema hoc videtur esse ut mutilatus versus expleretur, poeta autem sic scripsisse:

verum video [denuo] me ad saxa ferri fluctibus.

Similem rationem adhibui emendando antepaenultimo huius fabulae versui quem libri sic exhibent:

Haec adeo ut ex hac nocte primum lex teneat senes a quibus *C* ita discrepat ut *adō* tradat. Paulo eum licentius Ritschelius refinxit 'Haec adeo edico ex hac nocte primum ut lex teneat senes': lenius mihi hoc conamen videbatur:

Haec ad[mon]eo ut ex hac nocte primum lex teneat
senes.

Vidisse per somnum Demipho se capram et simiam et haedum narraverat, e quibus capram apparere ancillam esse advectam a filio et ab se adamatam, simia autem et haedus quorsum tenderent se nescire. Iam rusticas res mente agitans Lysimachus cum prodierit castrari iubet hircum qui ruri negotium facessat. Quo audito Demipho:

Nec omen illuc mihi nec auspicium placet:

quasi hircum metuo ne uxor me castret mea. 275

metuo [hercle] ne illaec simiae partis ferat.

Ita v. 276 Ritschelius edidit cum in *A*. . METUONEILLAEC invenerit et reliqui libri *Atque illius haec nunc* habeant. Qua discrepantia scripturae subrepsisse huic versui glossam declaratur. Ritschelianam autem lectionem si sequamur, vix intellegemus quo modo nata *atque* particula sit. Cuius originem optime ita explicabimus ut rariore aliquo vocabulo Plautum usum esse statuamus:

quasi hircum metuo ne uxor me castret mea,
simitu ne illaec simiae partis ferat.

Habes et particulam et iuncturam verborum sermoni Plautino maxime consentaneam: *atque* librarii similiter in locum *simitu* verbi substituerunt atque v. 475 in quo *sodalis et vicinus* Ambrosiani auctoritate editum est, reliqui testes *sodalis simul vicinus* referunt, nec sine probabilitate in Pseuduli versum 768 ubi *atque eidem si* propagabatur per libros et editiones, Ritschelius *simitu quom* induxit, potestque ut Pseuduli v. 1030 in quo verbosa codicum scriptura *quom haec metuo metuo* noscitur interpretem, poeta dederit *simitu metuo*. Ex *A* quod Ritschelius enotavit . . METUO, cum *E* littera perspicue scripta esse videatur, lacuna illa non abutar ut *SIMITU* in eo fuisse comminiscar; habuisse eum *et metuo* opinor, quo eadem *simitu* particula explanabatur.

Senex seni amare se confessus cum alter obiecisset

'Iudificas nunc tu me heic, opinor, Demipho' respondet v. 308:

decide collum si iam tibi falsum loquar.

Quem ad versum haec est Ritschelii adnotatio: 'SIANTI: I FALSUM *A*: quas litterarum reliquias visus sum vel SIANTIBIFALSUM vel STANTISTFALSUM interpretari posse. Vnde *si iam tibi falsum effeci*'. Quam redarguere coniecturam ita mihi videor ut Plautus quod scripserat subiciam:

decide collum statim si falsum loquar.

Productam esse ab antiquioribus poetis *statim* vocabuli syllabam priorem grammatici tradiderunt, qui cum adderent longam habere paenultimam *statim* quando esset perpetuo vel perseveranter vel aequaliter, brevem quando ilico esset, pro more suo discrimina notionis confingebant vetustis Romanis prorsus ignota. Nam postquam producta syllaba in *statim* est antiquitus, recentior aetas eam corripiebat, velut in *stātus* et *stātus*, *) ut mensura utraque idem significaretur. Quam rem plenissime Ritschelius exposuit de fictilibus litteratis Latinorum antiquissimis disputans p. 11 ss. Itaque cum longa priore syllaba *statim* dubitationem librariis movisse videatur, effectum in *A stanti* est, in *B inversus* ordo verborum *si falsum stati* (id est *statim*), inde in reliquis libris *si falsum ad te loquar* inepte interpolatum.

Dixerat Charinus reddi posse ancillam illi unde empta esset. Tum Demipho v. 421 'minume gentium' inquit

litigare ego nolo vos qua, tuam autem accusari fidem. At in *B* legitur *litigari nolo ego vos quam* ceterique libri consentiunt, nisi quod *D* cum deterioribus *litigare* exhibet, cuius mutationis *vos* pronomen causa fuit: tum quoniam *quam* in hanc enuntiati formam omnino non convenit, Bothius *qua* invexit, satis illud quidem me indice incommo- dum. Lenissime illum ego versum sic correxi:

litigari nolo ego usquam, tuam autem accusari fidem.

duo sunt membra enuntiati externa specie inter se exacta quorum tamen alterum re vera secundarium locum

*) Posteriores circiter Traianum Hadrianumque scriptores in multis imaginem antiquitatis adfectare studebant. In quibus etiam Frontinus est qui de aquis II 123 *obstaturum*, non *obstiturum* scripsit. Possum alia addere velut *tempestatium* et similia constanti usu ab illo prolata vel constanter declinatum *Anio Anionis*, quamquam *Aniensis* adiectivo utitur II 90 quod Suetonio apud Isidorum de nat. r. 44, 5 recte Beckerus meus restituit, et in senati consulto II 125 accurate ad exemplum *Anienis* expressit. Haec aliaque cum diligenter editorem observare par sit, eo molestius fero quae ex certa ratione explorata sunt constitutaque, ab aliis dum inconsiderate iudicant impugnari rursus et turbari.

obtinet 'litigari nolo ego usquam ita ut tua possit accusari fides'.

Brevi post pater et filius ancillam licitantur dum aliorum mandata uterque exsequi simulant. Iuberi se Demipho ait quinque etiam addere minas. Quo facto iubentem Charinus sic exsecratur v. 436:

hercle illum infelicient di, quisquis est. itidem mihi etiam meus adnutat

in quo versu libri *illunc di infelicient* tradunt, *B illuc di felicient: infelicient* quod est in principe editione, commendatum a Scaligero adsumpsit Ritschelius. Et *infelicitare*, non *infelicare* Romanos dixisse Acidalius flectendorum verborum derivandorumque legibus evinci arbitrabatur. Verum ego si rem ipsam spectemus, ut potuisse Romanos *infelicitare* fingere concedo comparatis *nobilitandi vel vililitandi vel debilitandi* vocabulis, in quibus - it - syllaba suavioris soni gratia videtur interposita, ita nihil obstatisse contendo quo minus efficerent *infelicare*. Quin immo haec forma plane congruit cum communi similium verborum lege quae ab adiectivis ita ducuntur ut primitivo nomini quale in genetivis comparat *-are* subiungatur. Eiusmodi verba ut ex sescentis nonnulla adscribam, habemus *aeternare, pauperare, mulierare, maestare, laetare, gravidare, divitare, artare, recentare, novare, supersticare, sospitare, perpetuare, nitidare, eunuachare, firmare, sanare, dignare, prosperare, celebrare, hilarare, gravare, mactare, laxare, obscurare, maturare, turpare, torporare*. Itaque *infelicare* formatum est secundum legem; *infelicitare* protulisse Romanos si constaret, euphoniā essent secuti aut cumulassent vim *infelicandi*, velut a perenni et *perenno* ducitur cuius primaria vis est 'perennem reddere' et *perenno* quo Plautus Persae v. 330 utebatur, cf. *mutuare* et *mutuitare*. Neve quis durius *c* litteram collidi cum terminantibus *are* opinetur, *duplicare* a duplicē vel a feroce *ferocire* vel ab edulci *edulcare* vel ut haec diversae naturae esse ponamus, a radice flectitur *radicari*. Vnde cum rationi haudquaquam repugnare *infelicandi* verbum liqueat, hoc unum quaeritur num exemplis eius verbi apud scriptores aliud probetur. Reperiuntur illa praeter hunc versum de quo agimus et glossam Philoxeni a Forcellinio emendatam 'infelicient, ἀιστώσιν (potius ἀιστολέν)' et Caecilianum versum omnia in eis Plauti fabulis, quae cum Ritschelianis copiis nondum instructae sint, acquiescendum nunc in testimonio Parei est *infelicare* fere omnibus illis locis scribi in mss. referentis. Sunt autem hi versus:

Cas. II 1, 29: unde [tu] is nihili, ubi fuisti, ubi lustratu's,
ubi bibisti?

id est mecastor: vide palliolum ut rugat.

— di me et te infelicient —

Epid. I 1, 11: di immortales te infelicient, ut tu es
gradibus grandibus —

Poen. II 1, 1: di illum infelicient omnes qui post hunc
diem —

Rud. III 6, 47: di te infelicient. — isti capiti dicito —

IV 6, 21: Hercules istum infelicet cum sua licentia —

Erravit igitur Nonius cum p. 126 haec scriberet: 'INFE-
LICITENT. Caecilius Nauclero: *ut te di omnes infelici-
tent cum male monita memoria.* Plautus Poenulo: *dii
illum infelicitent omnes*'. Nam cum in Poenulo verissime
libri *di illum infelicient* habeant, tum Caecili versus (114
Ribbeckii) ut numerose cadat, necesse est omnino *infeli-
cent* corrigi cum Bothio. Si quis enim audaciora molitus
'ut te di infelicitent cum male moenita memoria' coniceret
Spengelianum *moenita* comprobans, multum is etiam de
lepore illius sententiae detererent, quoniam persona illa non
malam sed intempestivam memoriam nescio cuius detesta-
tur. Effecisse hac disputatione nos putamus ut et suspecta
credenda illa scriptura sit qua Ritschelius Mercatoris ver-
sum edidit et vitio omni carens illa quam libri testantur
illunc di infelicient. Quapropter unam eam syllabam quae
deest versui, cum a Scaligero adscriptum *Hercule* trisylla-
bum discrepet cum sermone Plautino, sic adiciendam censui:

quin hercle illunc di infelicient, quisquis est —

Iam vero componendum hoc exemplum est cum reliquis
quae in grammatica de execrandi formulis Plautinis Teren-
tianisque observatione mus. Rh. XII p. 428 s. Petrus Lan-
genus diligenter congegisset comparandusque praeterea ex
Cornicularia Plauti servatus a Nonio p. 134, 32 versus quem
sic explevi:

ita mihi Laverna in furtis celerassit manus.

Verum quae antea de formatione verborum ab adiectivis
ductorum dixi, quae in -*are* desinentia qua quis pro-
prietate imbuatur declarant, eis moneor ut Attianum ver-
sum emendem a Nonio bis commemoratum p. 123: 'IGNA-
VIT, id est, ignavum fecit. Accius Aeneadis aut Decio:
Fateor, sed saepe ignavit fortem in spe expectatio' et
iterum p. 126: 'IGNAVIT, ignavum facit. Accius Aeneadis:
fateor, sed saepe ignabat fortem in spe expectatio'.
Inde Ribbeckius tragicorum p. 237 hunc versum (9) effecit:

. fateor: sed saepe ignavit fortem in spe expectatio.

Tum igitur *ignavire* vocabulum statuendum foret quod valeret 'ignavam reddere', quod ut analogiae linguae Romanae non constare adfirmem, persuadent cetera verba in quibus privandi vis inest desinentia in *are* omnia: *ignobilitare, impiare, improbare, impurare, incertare, impurgare, incestare, incommodare, indecorare, incermare, infamare, infelicare, infirmare, inhonestare, inhonorare, inimicare, iniquare, inquietare, deintegrare, depudicare, deformare, devirgare, denudare, devirginare* aliaque vel his vel supra adlatis paria. Vnum novi verbum quod aliqua tenus possit comparari in - *ire* exiens, *inanire*, simile illud *grandire* vocabulo; neutro tamen ad defendendam *ignavire* formam quemquam abusurum esse spero, cum ab *inani* et *grandi* illa, hoc ab *ignavo* derivatum sit. Ignavam igitur qui facit, is ut *ignavare* dicatur analogia postulat. Neque aliter locutum Attium esse discrepantia scripturae in duobus illis Nonii testimoniis ostendit, unde plenum hunc versum composui:

Fateor: sed saepe ignavavit fortem in spe expectatio. Neque igitur in priore lemmate Noniano cum Mercerio *facit* scribemus sed in utroque IGNAVAVIT, *ignavam fecit*: nec Nonius in hac re erravit sed qui commentarios eius descripserunt cum repetita eadem syllaba turbas moveret. Alia res est in alio versu Attiano eiusdem fabulae quem Ribbeckius quintum decimum posuit, in quo Nonii simul stupiditatem increpare et laudare diligentiam par est. Ita enim grammaticus ille scripsit p. 98: 'DEVORARE, absumere, eripere. Accius Aeneadis: *patrio exemplo, et me dicabo atque animam devoro hostibus*'. Vbi postquam *devotare* in lemmate et *devotabo* in exemplo Cauchius corrigi iussit, in Attiano versu Neukirchius et Ribbeckius *devoto* ediderunt cui mutationi et praesens tempus obstat incommode cum futuro consociatum et nisi fallor animi, huius verbi significatio (cf. Gruterus ad Casinae Plautinae II 6, 36), quoniam Ciceronem paradoxon I 2 'quae (vis) patrem Decium, quae filium *devotavit*' protulisse minime certa auctoritate librorum compertum habemus. At hoc certo scimus qui caput inferis consecratum morti offerebant eos se *devovere* dici. Itaque Nonius quemadmodum Atti versum descripsit:

patrio exemplo, et me dicabo atque animam devoro
hostibus

ita rectissime se habet, verum cum *devoro* ignoraret *devovero* esse, ridicule *devorare* verbum intellegens quae in lemmate sunt praescripsit. Contractionis autem illius quam

Attius admisit exempla in promptu non pauca sunt, velut *amarunt* pro *amaverunt* vel *commorat* quale non apud veteriores solum reperitur sed etiam pedestri saturarum sermoni Horatius concessit (cf. Reisigi schol. gramm. lat. p. 226): nec differunt *inritat* pro *inritavi* vel *nomus* Ennianum pro *novimus* vel *obliscier* pro *obliviscier* quod et scripsit Attius et etiam si non scribatur saepius oportet enuntiari: ne subtilius origines nominum rimemur quae hanc contractionem passa sunt, velut *nonas* pro *novenas* et *nomen* pro *novimen* et *nolo* pro *novolo*. Denique simplex futurum cum exacto Attium composuisse nemo mirabitur memor Catullianorum versuum 'alloquar, audiero numquam tua facta loquentem, numquam ego te, vita frater amabilior, adspiciam posthac'. Ceterum hanc defensionem meam Nonianae scripturae valde laetor placuisse Ribbeckio.

Longius evectus sum, sed revertor ad Plauti Mercatorem. In versu 489:

Achillem orabo ut aurum mihi det, Hector qui expensus fuit

ut particula praeter librorum auctoritatem addita est, quippe qui omnes ne Ambrosiano quidem excepto *orabo aurum* continent. Qua re cum non vere emendatum versum esse suspicarer, diligens Ritschelii adnotatio ut tollerem vitium adiuvit. Nempe quoniam in *B Achille morabo* et in *D altera manu achillū* scriptum est, haec Plautina manus fuisse statuenda est:

Achilleum orabo aurum mihi det —

Quamquam enim geminatur consonans, brevis syllabae instar erat Plauto (cf. *Ἀχιλλῆα* et Ritscheli prol. Trin. p. CXXIII). *Achilleus* ne a Romanis quidem abhorrere clare Horatius ostendit quadrisyllabo *Achillei* genetivo usus in carminibus quem necesse est ad *Achilleus* nominativum revocari pariter atque *Vlixei* quadrisyllabum quod idem Horatius in carminibus compluriens dixit ad *Vlixæus*, tamen hunc nominativum umquam pronuntiasse Romanos mihi nullo exemplo constat. Latissime autem patet haec quaestio quemadmodum in suam linguam Graecorum nomina Romani transtulerint variis vicissitudinibus ad Latinum os adaptantes formas etiam a Graecis pro dialectorum ratione varie mutatas, velut praeter volgare *᾽Οδυσσέως* nomen *᾽Ολυσεύς* et *᾽Ολυτεύς* et *᾽Ολυσεύς* in vasis leguntur et *Ὀδύσσεια* (immo *Ὀύλ -*) Aeoles fecerant (Quintil. I 4, 16) et *Ὀύλιξου ἐπιγομφήν* alicubi apud Siculos extitisse Plutarchus Marcelli cap. XX refert. Rariora et antiquissimorum temporum propria quibus totum non numquam nomen fere convertebatur,

qualia Ritschelius mus. Rh. XII p. 107 composuit, transeo: nec inscriptiones quae uberrima abundant copia ad illam quaestionem pertinentium exemplorum attingam, sive vetustas in quibus a muliebri *Φιληματίον* nomine quasi a *Philematio* dativus *Philemationi* deducitur (I. N. 4393, cf. genetivus *Philemationis* Fabrett. 58, 338) sive posteriores aetate in quibus paene incredibile vulgus licentia videtur nomina flexisse velut genetivum *Afroditetis* et accusativum *Afroditenem* ab *Aphrodite* declinabant, quarum declinationum plurima exempla a Lupo in epitaphio Severae p. 157 et 159 ss. adlata innumeris aliis augere licet. Quid quod a Graecis nominibus terminationes illas etiam in Latina transmittabant graecissantes et *Ispenem* malebant quam *Spem* vocare *Iulianetisque*, *Prudentianetis*, *Quintianetis*, alia nomina substituere Romanis *Iulianae*, *Prudentianae*, *Quintianae* vocabulis. Ipsi scriptores in terminandis Graecis nominibus flectendisque neque cum alio alius neque secum consentiunt et quo quisque propius aberat a vetustate, eo liberiora ac solutiora generare audebant. In quibus Plautus Mostellariae v. 560 *Tranionem* servum *Tranium* vocavit quod Ritschelius *ὑποχοριστικόν* esse voluit, parum illud puto faeneratoris personae congruens, neque improbabilis Acidalii coniectura videtur defensa olim etiam a Ritschelio, v. 1169 *Tranio remitte quaeso hanc noxiam* scribendum esse cum libri *Tranioni* testentur. Hanc enim *Tranionis* cum *Tranio* confusionem Plautinam consimilem esse iudico illi quam in vetusto et bene scripto titulo reperiri memoravi *Philemationis* cum *Philematio*. Licebit porro componere *Harpagem* et *Harpagum* in *Pseudulo* permutatos, in qua tametsi *Harpax* caculae nomen est, *Pseudulus* eum v. 665 *atque audin*, *Harpage*? adloquitur. Adonidem Plautus in *Menaechmis* v. 144 appellavit *Adoneum* ut *Ausonius* epigr. 30, 6 (*Ἀδώνιον* intellegas, non *Ἀιδωνῆα*): *Adoneus* Catullus 29, 9 habet, *Adonei* Apuleius met. II p. 43 ed. Bip. Comparet autem in his formis voluntas et studium ad tritissimas Romanorum vocabulorum declinationes derigendi nomina Graeca. Quo etiam factum est ut quadruplice *Achilles* genetivo pronuntiaretur: huius *Achillae* ab *Achilla* quod conferendum est cum nominativis *Atrida* *Anchisa* *Chrysa* unde deflexus *Achillam* accusativus praeter graecum *Achillea* etiam *Lucano* tribuitur, huius *Achillis* ab *Achilles* secundum eam quam tertiam nuncupamus declinationem, huius *Achillei* ab *Achilleus* ad analogiam *Nerei* vel *Ilionei* genetivi, quem posteriores grammatici quia cum dativo Graecorum (*Orphei* *Vergilius* georg. III 545) convenire videbant, per

antiptosin positum pro genetivo dativum fabulabantur, huius *Achilli* sive per synaeresin ortum ex *Achillei* velut trisyllabum *Promethei* et *Terei* disyllabum Vergilius ecl. VI 42 et 78 posuit ubi alii *Promethi* et *Teri* legebant, sive ad exemplum huius *Aristidi* et *Timarchidi* formatum quibus Graecorum *Ἀριστίδου* et *Τιμαρχίδου* genetivos imitabantur. Quarum declinationum exempla quoniam multa milia scriptores grammaticique suppeditant, inutile est coacervare. Memoratu autem digna Servius Aeneidis VIII versui 383 adscriptis: '*Neri* autem pro *Nerei*. . . Omnia enim quae in *eus* exeunt hodie, apud maiores in *es* exhibant, ut *Nereus Neres*, *Tydeus Tydes*. et genetivum in *eis* mittebant, ut *Tydeis*, *Nereis*. sed quia plerumque *s* in latinitate detrahitur, remanebat *ei*. hinc est *filia Nerei*, *inmitis Achillei*. item in *Salustio ad bellum Persei Macedonicum*. sic *Asper*'. Vbi *Asper* quos testatus videtur esse *Tydeis* et *Nereis* genetivos num in scriptis antiquis re vera reppererit, dubitandi locus relinquitur, ut quorum nec ratio appareat nec noverimus exempla. At non est quod dubitemus si nomina illa apud maiores genetivum in *is* misisse (*Tydis*, *Neris*), tum remansisse *i* (*Neri*, *Achilli*) *Asper* rettulerat, velut in *Sallustianis* illis verbis (hist. I 7 Kr.) *Persi* ceteri grammatici legerunt. Denique quin'am ex Graecis formam genetivi poetae repetiverunt *Orpheos*. Sed *Catullum* in epithalamio *Pelei* et *Thetidis* v. 178 non potuisse *Idomeneosne petam montes* scribere *Lachmannus* ad *Lucretium* p. 192 docuit, verum ille quem proposuit *Idomeneus* genetivum quem *Dorienses* adhibuisse *Servius* tradit ad *Aeneidem* III 122 et e doctrina veterum grammaticorum *Lachmannus* repetit qui in *Homerico* versu II. 13, 424 *Ἰδομενεῦς* quam *Ἰδομενεὺς δ' οὐ λῆγε μένος μέγα* maluerant, eo usum *Latinum* poetam esse non credo: neque vero de inscitia aut temeritate compellatum me iri spero si *Idomeneine* correxero quod librarii adiectivo opus esse rati commutarunt. Dixit autem *Idomenei* quadrisyllabum *Catullus* sic ut in eodem carmine bisyllaba *Thesei* et *Pelei* atque trisyllabum *Erechthei*, nisi hoc v. 229 secundum libros *Erechthi* scribendum est: dativo casu v. 336 *Peleo* latine, v. 382 graece *Pelei* extulit, in reliquis casibus Graecos sequitur nec dissolvit vocales in *Aegeus Theseus Peleus Prometheus* velut *Culicis* scriptor v. 269 *Orpheus* in te in exitu hexametri posuit sed contrahit in diphthongum. His quae in *eus* desinentium verborum inaequalitatem declinationis ostendunt, ut paucissimas addam aliorum nominum anomalias, huius *Charmidai* et *Charmidis*, *Callielai*

et *Calliclis* Plautus, huius *Phanocratae* et *Archonidi* Terentius dixit. Huius *Philolachae* et *Philolachetis*, huic *Philolachi* et *Philolacheti*, hunc *Philolachem* et *Philolachetem*, ab hoc *Philolache* et *Philolachete* habemus in Mostellaria. Chremes et Laches apud comicos modo huius *Chremis* modo huius *Chremetis* faciunt (Charisius p. 68), hunc *Chremem* et *Chremetem* velut apud Vergilium Graece terminantem *Daren* et *Dareta*, o mi *Chremes*, non *Chreme* apud Terentium, ut *Mysis* et *Thais* servata s: o *Mysis* (cf. Bentleius ad Hecyram I 2, 9). Huius *Pericletis* et *Stratocletis*, huius *Antiphonis* et *Demiphonis*, huius *Minonis* et hunc *Atho-nem*, huius *Paris* vel *Paridis* et *Tanais* vel *Tanaidis* antiqui flectebant. Huius *Isis* et *Sarapis* an *Isidis* et *Sarapidis* esset dicendum semper dubitabant, nisi quod in breviori nomine trisyllabam formam postea praeferebant: itaque duodecies si recte numeravi in Mommseni I. N. *Isidis* et *Isidi* reperitur, bis *Isi* dativus, quinquies huius *Serapis* et huic *Serapi* vel *Sarapi*, n. 2483 *Sarapidi* et n. 3549 *Isidis* et *Serapidis*. *Osiri* et *Iside* apud Iuvenalem legitur, *Glaucopi Veneri* in Henzeniano titulo Or. 6210, huic *Lemniseleni* in Persa edita a Ritschelio (cf. praef. p. X) v. 196, at huic *Lucridei* in eadem fabula v. 624, ubi Ambrosianus verissime i longam in fine verbi testatur, neque enim eam syllabam Plautus corripere potuit velut Graecorum more Catullus 64, 247 *Minoidi* ionicum pedem esse voluit. Licuit, nisi fallor, eidem Plauto hanc *Lemniselenem* prorsus latinam declinationem adfectanti dicere Persae v. 248: at *Irem* quia nimis asperum erat, dixit *Irim*. Ablativo casu *Theti* extulit (Priscianus p. 252 H.) Pseudulique v. 836 emendandum sic censeo: 'aut *hapalopsi* aut cataractria'. Haec *Soteris*, huius *Soterinis* Plautus, *Aris Arinis* Cicero declinavit; *Calypsonem Ioni Didone* Pacuvius Ennius Attius C. Caesar, at '*Argo citiremem*' Varro et '*an amaverit Didun Aeneas*' Ateius Philologus. *Oedipo* Plautus in *Poenulo*, *Calcham* Pacuvius et Plautus latine expressere; maluerunt graece Attius *dracontem* et Cicero *Leonte* quam *draconem* et *Leone* flectere. *Teucus* et *Euantrus* etiam Vergilius admisit, item *Androgei* praeter *Androgeo* genetivum. *Adon* et *Adonis*, huius *Adonis* et *Adonidis*, hunc *Adoneum*, in *Adone* enuntiabatur. Alia ad antiquissimum pariter atque plebeium sermonem pertinentia consulto nunc praetermitto, ut revertar ad propositum. Nullum igitur dubitatum fore spero quin scriptum in illo versu a Plauto *Achilleum* fuerit. Cui formae comparem *Vlixium* certo exemplo comprobare non possum, tametsi et Plautinus versus Bacchidum 7 a

Charisio traditus non eget transpositione verborum si scribatur 'verum hic adulescens multo Vlixum antedit' et Enniana verba servata a Diomede p. 388 K. (Ribbeckii trag. v. 138) multo melius in unum versum sic colligantur '... nos quiescere aequum est: nomus ambo Vlixum'.

Redemit Pasicompsam Lysimachus Demiphoni seni qui illam amabat: itaque dum secum ducit muliebre mercimonium, rem ei veram non quidem omnino patefacit sed ioculariter tamen significat v. 523 ss.:

Em, istaec hercle res est.

ovem tibi eccillam dabo, natam annos sexaginta,
peculiarem. — PAS. Mei senex, tam vetulam? —

LYS. Generis graecist.

eam sei curabets, perbonast: tondetur nimium scite.

Vbi *ovem tibi eccillam* cum Bothio Ritschelius edidit secundum CD qui *ecce illam* referunt: ex A enotatum est TIB . . . LLAM quod *tibi illam* esse Ritschelius suspicatur, B *tibi ancillam* habet. Et hoc quidem vere permiror iudicio iudicat Ritschelius propagatum, neque enim ovem Pasicompsae ancillam verum Pasicompsam ancillam ovis debemus cogitare. At miror equidem si placuit Ritschelio *eccillam*; nam etiam si domum Demiphonis in scaena depictam digito Lysimachum demonstrasse credamus, tamen non perspicere me fateor qua ratione in absentem iocatus et per ridiculam translationem de curanda ove locutus dixerit *eccillam ovem*. Aliud igitur latere ratus proficiscens a vetere Camerarii codice conieci:

ovem tibi aniculum dabo, natam annos sexaginta.

Nam post quam *Ovem* in *Quem* abiit, verbum illud facile oblitteratum est. Quod, puto, non inconsultius coniecisse Ritschelio videbor. Notus est poetarum hic usus ut *γέρων* vel *γραῖτα* et *anus* nomina pro adiectivis ponant: *γέρον σάκος* Homerus, *γραίας ἐρείκης* Aeschylus, *γέρον πέπλος* Theocritus dixit, Aeschylea (fr. 323 Nauckii) *ὡς λέγει γέρον γράμμα* Catullus expressit 68, 46 *charta loquatur anus*, Catulliana (77, 10) *fama loquatur anus* Martialis I 39, 2 *famaque novit anus*, *cornix anus* est in Priapeis eumque usum posteriores etiam prosae orationis scriptores receperunt. Plautus quidem et comici antiqui, si veram ovem significabant, non poterant eam *aniculam* vocitare. Sed quoniam hominem Lysimachus cogitat et ludendi causa cum ove comparat, in hac ipsa re leporis aliquantum situm esse persentiscimus ut *aniculam ovem* memorans Lysimachus auditoribus indicare senem, Pasicompsae magnificentiore verbo vetulam ovem appellare videatur. Continuatur

is lusus in subsequentibus, nam Lysimachus cum dicat 'generis graecist', graecos id est dissolutos Demiphonis mores, quales *graecandi*, *pergraecandi*, *congraecandi* vocabulis Romani denotabant; auditores intellegunt, Pasicompsa ovem graecam velleris praestantia insignem quales Tarantinae celebrabantur. Atque deinceps *tondetur* cum proprie ad lanam pertineat ovilem, ad sumptus Demiphonis et dispendium transferunt spectatores.

In versu 852:

non concedam neque quiescam usquam noctu neque dius
bene fecit Ritschelium quod *dius* formam servandam duxit

in quam libri consentiunt partim *dius* partim *dnis* vel *dius*^e vel *vis* exhibentes, *s* litteram addentes cuncti. Quae forma ratione eadem et auctoritate defenditur atque quod saepius apud veteres legitur *interdius* compositum vel *nudius*, Charisioque teste etiam Titinius (Ribbeckii com. fr. 13) 'noctu *diusque*' dixerat (cf. Lachmannus ad Lucretium p. 227). Quibus exemplis addendus est memorabilis titulus sepulchralis ab Henzeno olim tractatus et deinde Orellianae collectioni insertus n. 6206, qui rudioris sermonis vestigia praeseferens apertissima, *jiliastrae* nomen et *e* in diphthongi locum substitutam et *m* in exitu vocabuli omissam et cum accusativo coniunctum verbum *parcendi*, ut fit, plebeio dicendi generi immiscuit antiquitatem: 'd. m. Aurelius Festus Furciae Flaviae filiastrae benemerenti et domine et patronae. *quam dius* vivo, colo te: post morte nescio. parce matrem tuam et patrem et sororem tuam Marinam, ut possint tibi facere post me sollempnia'. De *dius* igitur scriptura in Mercatoris versu certa res est, quamquam repugnat quod fugit Ritschelium testimonium Nonianum. Habet enim Nonius p. 98 haec: 'DIV pro die, unde et interdium dicitur. Titinius Fullonibus: *nec noctu nec diu licet fullonibus quiescant*. Plautus Mercatore: *noctuque et diu, ut viro subdola sis*'. Cuius testimonii verba extrema quia in Casina III 4, 5 reperiuntur, primus Canterus Mercatoris nomen Casina permutari iussit. Quod non esse probabile unusquisque concedet qui commentarios Nonii accuratius cognovit. Immo haec fere tradidisse grammaticus iudicandus est mutilata postea a librariis: 'Plautus Mercatore: [*quiescam usquam noctu neque diu. idem Casina:*] *noctuque*' et cetera: nata autem lacuna illa videtur *quiescant* et *quiescam*, tum *noctu neque diu* et *noctuque et diu* verborum similitudinibus. Proxime ab hac corruptione abest mendum ab Fleckeiseno in Iahnii annalibus LXXIII p. 682

expeditum: ex aliis permultis, quae adiungere licet, unum subscripsisse sufficiet. Pagina enim 210 *lux* masculini generis esse demonstraturus Nonius Plautinum et Varronios locos protulit in quibus *luci claro* legeretur; deinde haec continuat: 'M. Tullius de officiis lib. III: *et cum prior ire luce claro non queo*'. Quae cum non sint Ciceronis, intercidisse non nulla Mercerus vidit; patet autem Nonianum de Cicerone testimonium pertinere ad librum de officiis III 31, 112 ubi Nonius legerat *et cum primo luci* Pomponi domum venisse dicitur' (cf. Terenti Adelphi V 3, 55 *cum primo luci*). Simulque patet quam haec facile absumpta sint quoniam subsequens testimonium ab isdem fere verbis incipiebat. Eius vero verba senarium versum, comici fortasse poetae, complere vix est quod moneam. — Consequitur igitur in hoc quem tetigi versu librum Plautinum quo utebatur Nonius minus emendatum fuisse quam reliquos: neque vero operae pretium non est indagare quale in unaquaque fabula grammaticus ἀπόγραφον *) adhibuerit, quod ex hac re quantum ei fidei habendum sit pendet. Ad Mercatorem vices a Nonio commemoratam spectantia testimonia diligenter Ritschelius adnotavit nisi quod praeter verba supra adlata v. 138 *tui causa*, 864 *diales*, 929 *sines* Basileensem testari editionem praetermisit. Fuit autem liber quem Nonius habebat diversus et a *B* et a reliquis qui supersunt, quoniam modo cum illo modo cum his modo cum nullo convenit. Leviora vitia praetereo ut quae exemplo Nonii Plautino an Nonio an librariis debeantur incertum sit, qualia sunt v. 205 *aqua indideris* bis pro *aquam*, 832 *harum* pro *harunc* et *interitus* pro *interemptust*, 105 *dicens* pro *dico eius*, 864 omissum *bene*. In v. 117 cum *B* *simitu*, reliqui *simul* praebent, Veteri suffragatur unus Nonius, verum multo saepius congruit cum Palatino et Vrsiniano, velut v. 939 *itiner* et 864 *tutetis* cum *CD* testatur, et v. 574 cum plane Nonius *ieiunitatis* scripserit, propius ad hanc scripturam *CDa* accedunt quam *B*, et v. 10 in Mercatore Nonii *simplicitus* fuisse videtur quod legitur in *CD*, unde *simplicitus* adverbium ille finxit. Mendose v. 87 *gubernatorum* et *gerariam* nostri codices tradunt,

*) Nolo haec ita intellegi quasi unico fabulae exemplo ipsum Nonium usum esse dixerim, si quidem veri multo similis est repertiisse illum Plautinos versus e commentariis aliorum et conplurium. Quamobrem non repugnabo si quis e variis exemplis fabulae derivata varia testimonia Nonii esse contendat. Tantum igitur declaraturus sum, quia exempla illa non numquam cum nostris libris discrepant, eo plus valere auctororum consensum omnium.

vere *cercurum* Nonius; v. 138 *'iam dudum sputo sanguinem'* codices, male *atrum dum* Nonius; v. 859 *obsistet* codices, *obstavit* id est *obstabit* Nonius; v. 860 *nec calor nec frigus* codices, male Nonius neutri generis *calor* esse dicens *neque frigus neque calor metuo*. Nam ita scribi oportet cum Grutero, non ut libri Noniani habent *calorem*, quia totam hanc de calore adnotationem ut alia non nulla Nonius in farraginem suam deduxit ex commentariis Vergilianis, in quibus ad Georg. II 344 ubi ne hypermetrus versus foret *frigusque calorque* correxerant praeter masculinum *calorem* veteres neutraliter *calor* dixisse ferebantur. Atque hac ratione factum est ut eodem modo et ordine Nonius quo Philargyrius ad Vergilium scripta illa Plauti verba exhiberet, negligens uterque syllabarum mensurae. Mirum videatur quod versus 397 bis a Nonio non Plauto sed Lucilio adsignatur: nequaquam mirum id est in hoc grammatico, si versus iste, quo secundum reliqua ancillae ministeria dum 'baiulet' expectamus facetissime ingeritur 'vapulet', a Lucilio translatus in saturas erat, quod Ritschelius quoque iudicavit. Velut equidem prorsus non dubito enotata a Nonio ex Varronis Andabatis p. 135: *edepol idem caecus, non lusciosus est* ita explicare ut Plauti verba Militis v. 322 suae orationi Varro iomiscuerit, emendoque *edepol tu quidem caecus, non luscitiosus es*, nam *lusciosus* etiam in Plautinis praeter *B* libri omnes referunt. Ea autem quae ante perscripsi non fluxisse demonstrant excussum a Nonio librum Plauti ex eis fontibus quos adire etiamnum nobis contingit sed ex tali recensione quam non inferiorem nostris codicibus verum in aequo ponamus. Plurimum igitur scripturae cuilibet pondus Nonii et Veteris, Palatini, Vrsiniani consensus adfert ut nisi qua urgeat necessitas discedendum ab illa non sit. Cadit hoc me iudice in versum 117 quem trochaicum cum Brixio Ritschelius fecit, quamquam testes cuncti iambos descripsere hos:

ita tres simitu res agenda sunt, quando unam occiperis.

Et quoniam iambicus item traditur subsequens versus:

et currendum et pugnandum et autem iurigandum est
in via

in quo nihil habeo quod vituperem, apparet opinor non hos versus compellendos esse in trochaeos, sed quando prior huius scaenae pars universa iambica est, conformandum in iambos versum 116 hoc exemplo:

currenti, properanti hau quisquam [usquam] dignum
habet decedere.

Haec habui aut graviora aut pluribus exponenda quibus emendari Mercatorem posse existimarem cum probabilitate: incertiora alia nunc tacere praestat. Addam autem quaedam quae ad perpoliendam fabulam pertineant. Commonenti Eutycho v. 890 'potin ut animo sis tranquillo' sic obloquitur Charinus 'quid si autem animus fluctuat?': *autem* Bothius inseruit per se illud quidem maxime appositum, sed quod non desideretur necessario. Libri quod referunt *sint autimus (BC)* vel *sint animus (D)*, id manifestum est huc valere 'quid si mi animus fluctuat?' — Versus 903 Ritschelio hic est:

EVT. Egomet vidi — CHA. Quis eam adduxit ad vos? — EVT. Em, inique rogas.

A libris abest *em* interiectio: *quis?* Guyetus, *enim* Bothius adiecerant, *haud aequae* Schneidero, Ritschelio praeterea *pol* vel *at inique* in mentem venerat. Verum ut facillimum quia EV. vel EVT. nota personae praescripta est ita aptissimum sententiae hoc supplementum est: *Vt inique rogas*, conferendum cum talibus dictionibus 'ut falsus animist', 'ut propere, ut valide tonuit', 'ut lepide, ut liberaliter — accepit', 'ut pudice verba fecit', 'ut docte dolum commentust'. — V. 550 ss. Demipho haec ratiocinatur:

adulescens quom seis, tum quomst sanguis integer,
rei te quaerundae convenit operam dare.
demum igitur quom seis iam senex, tum in otium
te conloces, dum potis ames; id iam lucríst,
quor vivas. hoc ut dico, factis persequar.

Lucrist Ritschelium duce Ambrosiano in quo haec scriptura cum altera *lucrumst* sic conflata est LUCRIMEST; tertiam *lucrost* reliqui libri habent. Perperam autem coniecisse Ritschelium *quor vivas* opinor: opponitur enim adulescenti senex ita ut illi opes quaerendae sint quibus lucrum faciat, hic autem ipsum illud quod vivit nec dum mortuus est in lucro ponere debeat. Poeta igitur quid voluerit, Cameraarius intellexit cum *quod vivis* ederet. Scribendum autem videtur esse *quod vivo's*, quandoquidem librorum discrepantia (*quod uno vis B*, *quod v.ni vis C*, *quod unius D*)

quod vivus indicatur. — Alienatam ab sese amicam esse certior factus ex Eutycho iam sciscitatur Charinus v. 616: 'loquere porro aliam malam rem: quoi east empta?' Tum Eutycho 'nescio'. In libris *cui est* legitur, *quoi east* debetur Ritschelio, lenius ut in ea scriptura qua antiquiores codices exprimebantur correxeris *cui sit empta*. — Paulo superius v. 613 *ne di sirint* editur; in *B* est *desierint*,

in *CD deserint*, hoc est *di* vel *dei sierint*. Nam *siverint* elisa *v* littera corripit primam syllabam velut *petierint* et ortum ex trochaeo *sivit* bibreve *siit* quod Terentium Ad. I 2,24 usurpasse Bembinus et Diomedes p.374K. declarant. — In v. 989 secundum libros *temperare* vel *temper edepol* exhibentes restituamus *tempere* formam consimilem *here* et *peregre* et reliquis vocabulis a Fleckeiseno de vetustorum poetarum reliquiis Gellianis p. 30 s. commemoratis. Quod enim *peregrei* antiquiores protulerunt, postea *peregre* et *peregri* dicebant promiscue, donec quod etiam nos observamus significandi discrimen a grammaticis excogitatum est. Nam ne posteriore quidem aetate receptum illud vulgo fuisse inscriptiones ostendunt, in quibus modo *peregre* (Henz. 7383: dum ego in peregre eram) modo *peregri* (Henz. 7389: peregri potius quam domui suae) reperitur. Eodemque modo *ruri* et *rure* cum fluxerint e *rurei* diphthongo, differre illa vi et notione veteribus non omnibus probabatur, nam cum Plautus in Mercatore v. 760 *uxor rurest tua* scripserit — hoc enim clare Vetus testatur delituisse in ceteris libris — tum Ofiliae Ampliatæ titulum (I. N. 6593, Henz. 7404) qui posuit, nescio an versum aliquem recordatus, haec subiunxit 'hoc est puella, quam delicato corpori *rure* morari destinās'. Alia Charisius exempla p. 142 et 212 K. congressit.

12.

Persae Plautinae quintum actum his Toxilus versibus incipit:

Hostibus victis, civibus salvis, re placida, pacibus
 perfectis
 bello extincto, re bene gesta, integro exercitu et
 praesidiis,

755 quom nos, Iuppiter, iuvisti dique alii omnis caelipotentes,
 ea re vobis gratis habeo atque ago, qui probe inimicum sum ultus,

quos etsi non a singulis tantum verbis sed etiam a metro habere suspensiones adnotatio Ritschelii ostendit, certum tamen videtur cum secundo simul primum et tertium octonarios esse trochaicos. Itaque in v. 755 quod post *cum* interponunt libri *bene* verbum Ritschelius delevit, quam coniecturam minus probabilem iudico, quia additum *bene* adverbium et in Toxili sententiam optime convenit et in ipsa illa formula sermo Plautinus frequentavit: Pseud. 732 *bene iivas*, Most. 1036 *bene iives*, Merc. 864 *invoco vos Lares viales ut me bene iuветis*, Curc. 575 *at ita me machaera et chu-*

peus bene iuvent: cf. ita me di bene ament et at te Iuppiter bene amet non semel apud comicos lecta sciteque a Ritschelio excogitatum *bene mactassint* Curc. 578. Hoc igitur adverbium quoniam servandum esse duco, Plautus nescio an scripserit:

quom bene nos, Iovis, iuvisti dique alii omnis caeli-
potentes

ut duae proximae voces plane inter se consonarent; nam in *Iovis* et *iuvandi* nominibus eadem apud antiquos vocalis audiebatur. Talis autem consonantiae lusus cum maxime delectaverit veterum aures, tum in hoc exemplo Plauto potest eo magis placuisse quod a iuvando Iuppiter appellatus esse credebatur (cf. Pseud. v. 328). Non opus autem dictu est quam librariis in proclivi fuerit in *Iuppiter* mutare *Iovis* casum rectum, qui in aliis Plauti fabulis hodie non legitur, sed cum versus complures in quibus dei nomen reperitur codices aut depravatos aut dubitationis plenos referant, incidit nobis suspitio non intellegentes illius formae librarios *Iuppiter* vocabulum supposuisse. Velut Mostellariae versum 38 ita ut eum libri exhibent 'quam confidenter loquitur. fu. — At to Iuppiter' tueri licet modo *Iovis* formam admiseris, et Menaechorum v. 957 'abiit socerus. abiit medicus: solus sum. pro Iuppiter' quam libri perquam apte addunt *nunc* particulam servaveris hac scriptura 'abiit socerus. abiit medicus: nunc sum solus. pro Iovis', et Pseuduli versus 574 quem Ritschelius anapaesticum esse voluit exaequatur cum trochaicis reliquis in hunc modum, 'pro Iovis ut mihi quicquid ago, lepide omnia prospereque eveniunt.' Sed incertiora haec sunt praec relato e Persa exemplo, quode si probabiliter iudicavero, iam Plauti nomen cum reliquis scriptoribus consociaveris quos *Iovis* nominativum ex *Diovis* ortum convenientemque *Veiovis* et *Vediovis* formis adhibuisse ad Pervigilium Veneris p. 9 adnotavi*). Eius enim

*) Huc referendae sunt etiam antiquiores illae inscriptiones quas nuper in actis instituti Romani 1858 p. 104 n. Henzen sedulitas composuit. Memoratur ibi paterae tribus figuris praeter VENOS et PROSEPIA adiunctus DIOVEM titulus quem recte Henzenus DIOVES valere significavit. Haec cum forma vetustissima fuerit, posterior aetas quae verba Romana corripiebat et deminuebat DIOVE nomen finxit, quod cum prisum aes exhibeat comparandum est ad ANAIEDIO similiaque ex ANAIEDIOS decurtata. Eadem prorsus ratione *Hercules* abiit in *Hercule* et *Hercle* quae vulgaris per omnia saecula sermo usurpabat. Quam enim *s* littera in his terminationibus debilis fuerit, etiam metrica vetustiorum poetarum ars clare demonstrat. Mirandum igitur non est quod in speculo cum IVNO nominativo consociantur HERCELE, medius ille inter *Hercule* et *Hercle*, et IOVEI medius

carminis v. 1 etiam num recte mihi eandem formam defendisse videor, quanquam oblocutus est Theodorus Bergkiius. Scripsit autem vir ille acutus et eruditus, quem ut longe nobis superiorem alioqui suspicimus, de Pervigilio ad Welckerum nuperrime commentationem, vaniloquentia mistam et ineptiis. Haec iste p. 4 de me narravit: 'parum caute hac de re iudicavit, qui nuper carmen recensuit: nam quoniam ei placuit statim in versu primo Salmasiani libri lectio, negat ullam fidem habendam esse Pithoeano exemplo.' In quibus si errasse candidum et benevolum hominem dixerō leniter, vereor ne rursus de addiscenda sermonis Latini proprietate ab eo commonear: itaque appellandum erit proprio vocabulo merum mendacium. Ego enim de Pithoeano libro aliud prorsus et olim existimavi p. 8 atque 47 et nunc existimo. Neminem enim fugit quanti Pithoeanus in eis carminibus faciendus sit quorum non vetustiora exempla supersunt, neque cuiquam probabitur qui Pithoeanam illam collectionem cognorit, transcriptum in eam Pervigilium ex Salmasiana esse; immo ex eodem archetypo

inter IOVE et IOVI deductos a IOVES et IOVIS formis (cf. *diuvel* Oscorum). Conveniebat autem in subducenda s littera lingua Romana cum aliis Italarum, praecipue cum Tusca cuius nomina haec erant: *Hercle, Phulnice, Patruclē, Achle, Vthuze* et conferenda cum Aeolicis vetustisque Romanorum *Neres* et *Tydes* nominativis (v. p. 437) *Tute, Pele, Perse*. Itaque commune hoc erat duabus dialectis, neque recte tuscas romanasque formas in illo speculo miscuisse sculptorem Henzenus dixit, sed non magis tuscae hae sunt quam quae in alio speculo reperiuntur MIRQVRIOS et ALIXENTROM: nam d litterae cum t cognationem esse ita Quintilianus I 4, 16 adfirmat ut in vetustis operibus urbis et celebribus templis legi *Alexanter* et *Casnantra* testetur. Immo communem hanc rem rursus statuemus Romanorum fuisse et Etruscorum ut qui *Eichsanter* et *Casntra* pronuntiaverint. Velut quod ibidem Quintilianus tradidit, permutatas a veteribus o atque u esse ut *Culcidis* et *Pulixena* scriberentur, maxime id cadere in Tuscam dialectum (*Nestur, Tinthun, Apulu, Memrun, Charu, Phulnice*) videmus et ab Etruscis simul atque Romanis nomina in *ov* desinentia Graeca v littera privari. Habemus igitur per varias vicissitudines conversum a Romanis supremi dei nomen: *Dioves, Divis, Dione, Iovis, Iovei, Iupiter* id est *Iovipiter*. Quae quam arta propinquitate nomina eiusdem dei reliquis Italis cognatisque gentibus usitata attingant, presse Welckerus myth. Gr. I p. 131 ss. exposuit. Denim littera ita sublata e nomine est ut *Dianus* in *Ianum* mutatus est et cum depravari latinitas coepisset — nam vetustissima quaeque infimis temporibus rursus usu recipiebantur — *iabolus* pro *diabolo* nuncupabatur. *Iovis* nomen etiam in lamina aerea legitur quam I. Beckerus in inscriptionibus Mougntiacis p. 217 n. 62 descripsit (cf. n. 58 *Venus*), *Iovis Axur* a Prellero explicatur in actis acad. Sax. 1855 p. 210 n. *Diiovis* et *Vediiovis* scripturae auctoritas nulla est, nisi librariorum, quam non licet *Mariae* similibusque nominibus defendere.

Salmasianum et Pithoeanum Pervigilii exempla fluxisse pro certo affirmare licet. Quod si ita est, criticae artis elementis imbutus unusquisque intellet, cum duo sint eiusdem re-
 censionis testes, plus valere antiquiorem nec discedendum esse ab antiquioris testimonio sine necessitate. Itaque ab scriptura Salmasiani exempli utpote et duobus ante Pithoeanum saeculis et melius haud dubie (cf. v. 63) confecti proficisci nos oportere in emendando carmine et dixeram editionis p. 8 et nunc dico. Iam vero in versu primo Pithoeanus haec tradidit: *vere natus orbis est*, quae neque ab elocutione commendantur neque absententia: nam quod Bergkiius rursus — describit autem ab aliis prolata non nominato auctore — ad Vergilium Georg. II 336 provocavit, Vergilius orbem terrarum post quam creatus est ver egisse ait, non vere creatum mundum esse, qualem sententiam est profecto quod in sano poeta mireris. Contra facillime fieri potuit ut quod legitur in Salmasiano et lectum videtur esse in archetypo, *vere natus iovis est*, quia non intellexit corrector ita mutaret ut in Pithoeano mutatum est. Hanc autem fabulam ex Iovis cultu Cretensi quem ne infimi quidem aetate scriptores ignorabant (cf. Welckeri myth. Gr. II p. 222 ss.) adsumpsisse non mirum est illius aetatis poetam quem rariora et reconditiora iuverit ostentare (cf. v. 29 et 45). Veram igitur *Iovis* scripturam emendandumque esse transpositione verborum primum versum censui et quoniam futile Bergkii argumentum ex sensu ipsius repetitum non moror, etiamnum censeo. Ceterum non possum non ridere et Graecum proverbium recordari si eum hominem de proprietate latini sermonis audiam praecipientem aliis qui si ipse didicisset, non huic poetae *penitos penates* v. 35 obtusisset aut in sua commentatione p. 12 'multo magis atque intellexerunt critici nostri' scripsisset, nam alia taceo quod doctum virum nolo cavillari. Quod autem *Komuleum* memoravi p. 23 recte non appellari nisi quod pertineret ad ipsum Romulum — tantum dixeram, non quod Bergkiius p. 7 n. finxit —, verum id esse contendo: non hanc tamen rem sed graviora alia p. 28 adnotaveram persuadere ut v. 72 induceremus. Viderint alii quam Bergkiius in illa stropha eximie et ut par erat, sine omni temeritate versatus sit. Porro inscitiae erat eundem poetam elegantis iudicii vocitare p. 13 et de negligentia suspectum habere p. 18: plane vero incredibile videtur paucos eos versus quibus trochaeorum numerorum integritas subvertitur, corruptos illos sine ulla dubitatione licet nondum certo emendati videantur, defendi a Bergkio. Et quibusnam eos defendi exem-

plis putas? Ausonii versibus et inscriptione metrica Meyeri 1210: poterat etiam magis idoneum exemplum describere versus ex Mommseni I. N. 3449 erutos a me in Iahni annalibus LXXVII p. 68. Sed addidit praeterea Flori epigramma Meyeri 214 cuius primum versum cum sic tradatur:

omnis mulier intra pectus celat virus pestilens
depravatum esse iam dudum gnarissimus poesis latinae
Schraderus monuerat, ita ego corrigere tentavi adscita
Bouheri coniectura *ulcus*:

celat omnis mulier intra pectus ulcus pestilens.

Denique satis recte Bergkii meminerat in alio epigrammate *Euandreum* vocabulum tertiam talis versus dipodiam obtinere. Quod cum male Meyerus anthologiae n. 578 ediderit, diligenter illud eques de Rossi in annalibus instituti archaeologici Rom. 1854 p. 32 recognitum secundum lapidem Romanum inlustravit:

Hercules invicte, Catius hoc tuo donu[m] lubens
numini sancto dicavit praetor urbis . . . ,
cum pia solemne mente rite fecisset [tuum,
tradidisti quod Potitis Euandreo [saeculo
administrandum quodannis hic ad a[ram] maximam.

Quod monumentum elucet nostrae rationi, non Bergkio esse praesidio; nam cum plurimae eiusmodi inscriptiones, ut quas indocti plerumque et plebei homines confecerint, non sint ad numerorum severitatem exactae, Catius curiose leges horum versuum observans spondeum in impares pedes non admisit nisi semel ubi nomen proprium satis excusationis habebat. Si quis igitur coeperit sentire quid intersit inter versificatores qui lapides et sepulcra inscribebant et poetas qui docta carmina edebant, non potuisse perspiciet Pervigilii scriptorem inaequabiles versus componere quales Bergkii cum composuisse sibi persuasit. Nisi quis forte mavult Ausonii comparare versus ad Pervigilium quam Terentiani Mauri consimiles plane tetrametros, qui nec synaloepham concurrentium vocalium neque anapaestum in secundo et sexto pedibus insolentem esse ostendunt. Eidemque 'regulam servant ubique, finis ut quarti pedis nominis verbive sine comma primum terminet' (v. 308 s.), cui qui repugnat versus 2343; eum consequitur corruptum esse. Atque quod ab artificiosa Pervigilii compositione abhorre p. 30 exposueram, ut a substantivo suo genetivus diremptus alteri versui inferretur, Terentianus quoque evitabat, ut cum v. 944 s. haec scripserit, 'consonis praefertur autem, si dirempta syllaba est nominis verbive, cuius cum Latinis sermo sit', ludere eum conicias. Quamquam etiam Teren-

tiani non nulli versus (419. 721. 741) mendose traduntur, quos vereor ut quis ita factos ab scriptore quam a librario credere malit. Denique iuvat mehercle transcribere huc Bergkii verba ex p. 14 haec: 'quod arbitratur [ille ego sum], quum poeta particulas carminis versu intercalari distinxerit, id ipsum indicio esse, congruentiam quandam adhibitam esse, satis superque ostendit se, quae versuum intercalarium sit vis et natura, nunquam animadvertisse'. Ad haec hoc respondero aut caecutire eum qui illa scripsit aut indigere helleboro, quoniam non de vi et natura sed de usu versus intercalaris agitur, quo qui utebantur a Theocrito inde usque ad Ovidianum poetam qui Didonis ad Aeneam epistulam conscripsit 'certam congruentiam et acquabilitatem' singularum partium spectabant omnes. Tantum contra Bergkium dixisse sufficiat, neque enim singulas eius hariolationes animus mihi est refutare quippe qui graver *κενεῆς οἰήσις ἔμπλεον ἀσκόν* exinanire. Quaecunque iste nova protulit, aut falsa ea sunt velut v. 81 *Fauni* quorum memoria cum ab hac Genetricis Veneris sollemnitate tum ab illa stropha abhorret, aut inepta velut *unico voto* v. 48 et quae de v. 62 effutivit p. 10, aut temeraria velut permutatae prima et secunda tertiae partis strophae; nam *compari* cum Diana, non cum rosa *pudore* Nymphas poeta intellegi voluit. Post nostram opellam vere Ribbeckius (huius musci XIV p. 325) v. 42 *undanti peplo* emendavit et ne suam adversario laudem invidere credar, vere Bergkius p. 21 adnotavit, v. 90 non decuisse comparandi particula poetam uti, fortasse vere v. 45 graecam *Cypridos* formam praetulit.

Verum non desunt profecto in meo illius carminis exemplo quae praeterea vel corrigenda fuerint vel addenda. Velut quem p. 18 emendavi versum voti ad Oceanum in anthologias recepti, eum ante me et Wernsdorfius (poet. l. min. ed. Paris. III p. 321) et Hauptius (act. acad. Saxon. 1850 p. 175) eundem in modum emendarant. Cum autem de praemissis in Salmasiano libro verbis *sunt vero versus XXII* disputans *στιχομετρίας* exemplum e Romanarum historia litterarum repetitum nondum innotuisse dixi, non memineram Traguriense Petronii exemplar titulumque ex ipso Salmasiano, ut videtur, editum in Burmanni A. L. I 176. Neque commemoratum p. 42 Aldi Manutii exemplar Pervigilii 'in antiquissima quadam Galliae bibliotheca repertum' aliud atque Pithoeanum fuisse credo. Deinde dubitationem mecum suam communicavit vir et doctrina et humanitate incomparabilis, an perperam versui 11 subiciantur illa *tunc cruore de superno* eqs., ut quae non satis apte continuari

videantur. Quam dubitationem ipse optime iudicaverit num solvere haec opinatio possit. 'Saturnus dicitur patri Caelo virilia falce amputasse, quae in mare cadentia Venerem creaverunt: quod ideo fingitur quia nisi humor de caelo in terras descenderit nihil creatur' (Servius ad Verg. georg. II 406). Sequitur igitur Pervigilii scriptor vulgarem fabulam sed ita ut quae non bene huic carmini intexeretur virilium amputationem omitteret. Nam Aether, quem vetustis poeta Graecus Caeli patrem finxerat, non diversus est ab ipso Caelo, velut Ampelius IX 9 secundam Venerem eam ponit 'quae ex spuma nata esse dicitur Aetheris et Oceani filia' (cf. Hyginus fab. prooem.), vel in tragodopodagra Luciani chorus canit v. 87: τὰν μὲν Κυπρίων Ἀφροδίταν σταγόρων προπεσοῦσαν ἀπ' Αἰθέρος ἀνεθρόεψατο κόσμιον ἄρμογᾶν ἄλλοις ἐνὶ κίμασι Νηρηΐς. Itaque reputantes quantopere priscas fabulas illa aetate formare in allegorias studuerint, non mirabimur istam huius poetae sententiam: cum primum caelus in sinum telluris fluere ad rerum naturam procreandam, tum de superno cruore, id est de semine caeli spumeus ponti globus Venerem peperit. Idemque in principio Ponticon Solinus expresserat: cum prima foret rebus natura creandis in foedus conexa suum, id est cum rerum universitas, caelum et terra copulassent nuptias, semine caeli parturiente salo deam natam esse e pelago. Similiter in v. 10 allegoriam captasse poetam existimavi si scripsit *ut pater totis crearet veris annum nubibus*, id est ut omni verno tempore repararet annum, pereuntis quotannis et renascentis naturae vices respiciens, quas posterioribus poetis in promptu erat celebrare. De ipso vero pervigilio pugnaveram adversus illos qui sollemnem hunc cantum atque civitati alicui destinatum fuisse sibi persuaserant. Quae opinio cum ipso carmine redarguatur, tum non minus apparet et apparere dixeram p. 40 ss. certum sollemne Veneris Genetricis cum vere novo coniunctum animo poetae obversatum esse. Quod qua in urbe celebratum sit tametsi non liquet, non sine probabilitate Paldamus et Heidtmannus Siciliam Hyblamque cogitasse videntur, quo versus 74 et 75 spectent et Dianae cultus v. 59 ss. commemoratus, quibus hibernae praeses venationis dea discedere ex silvis iubetur ut nemus non cruentum stragibus ferarum recentibus floribus virentes umbras ducere possit.

Artificiosa Pervigilii dispositio, in primis commemoratus p. 35 lusus quo comparum stropharum respondentes inter se versus poeta orationis verborumque conformatione exaequabat, ita nos ad memoriam excitat Graecorum car-

minum bucolicorum ut cognovisse ea accurate poetam et imitando expressisse facile credamus. Illa enim cum Augustae aetatis poetae in lucem protulissent ac nobilitavissent, praeter ceteros aemulatus Theocrito Vergilius, postea et lectitabantur ab eruditissimis hominibus velut inter cenam Gellius noctium att. IX 9 simul Theocriti et Vergili bucolica tractata esse refert et effingebantur non uno tempore disparique virtute a poetis quod Calpurnii et Nemesiani cum ratio poesis institutumque tum singuli versus declarant. In secundo Theocriti idyllio ut efficacissime, quae primis versibus sensa Thestylis elocuta est, amplificata et variata in exitu carminis repetuntur, ita consilio poetae factum est ut devotionis amatoriae prima stropha et extrema inter se curiosa orationis similitudine congruant:

18 ἄλφριτά τοι πρῶτον πῦρὶ τάκεται ἄλλ' ἐπίπασσε
Θεστυλί.

21 πάσσο' ἔμα καὶ λέγε ταῦτα 'τὰ Δέλφιδος ὅστια πάσσω'.
et

58 σάβραν τοι τρίψασα κακὸν ποτὸν αἴριον οἰσῶ.
Θεστυλί, νῦν δὲ λαβοῦσα τὸ τὰ θρόνα ταῦθ' ἐπό-
μάξον —

61 καὶ λέγ' ἐπιφθίζουσα 'τὰ Δέλφιδος ὅστια μάσσω'.

Atque altera pars carminis cum incipiat ab his verbis νῦν δὲ μοῦνα εἰδῶσα —, ultima rursus stropha similiter inchoatur νῦν δὲ χάριν μὲν ἔφρα —.

Eadem ratione tertium idyllium in tres partes dividitur, de quibus paucis exponam, quia infeliciter me iudice in constituendo eo carmine Ahrens nuper versatus est. Ei enim ut ternum versuum strophas efficeret omnes, et eximere visum est de carmine versum nonum et qui secuntur vicesimum versus 21 – 24 subiungere octavo. Quare simplicem et necessarium sententiarum ordinem plane eum invertisse arbitrator. Relinquens gregem caprarius Tityro suo curam caprarum mandat ut commissatum ad Amaryllidem eat: primi igitur quinque versus prologi instar sunt. Iam delicias suas adlocutus, ut decet commissatorem, in antrum quod puella habitat intro mitti vult; cur repudietur quaerit, num deformis amicae videatur, mala offert quae munera ab ipsa iussus sit afferre, apis invidet fortunae ut quae per hederam penetrare in antrum possit, quam se graviter crudelis Amor percusserit queritur, denique iterum adlocutus Amaryllidem ut se ne arceat a complexu orat, quas preces cum frustra esse intellexit ὦ μοι ἐγὼ exclamat, τί πάθω, τί ὁ δύσσοος; οὐχ ὑπακούεις; Atque prima hac parte obsecratio amatoriae continetur, qualis propria solet esse παρακλιανιθύρου. At

Ahrentis iudicium si sequaris, vix dum aggressus est caprarius amicam et tres non amplius versus protulit, cum minis eam insequi coepit et quasi spe omni deiectus furere atque etiam male dicere (*ἄ δ'ύσσοος*): quod naturae comissionis prorsus repugnat. Immo certum est ad vicesimum usque versus sperare caprarium acceptum se iri in antrum supplicibusque verbis ut commoveat puellam contendere. Cavendumque est ne nimio aequabilitatis studio inducti quas binis versibus poeta constare voluit tres strophas primas aut demendo apta aut inepta addendo corrumpamus. Nonus versus non video quo iure reprehendatur, nam quod deformitatis suae mentioni et odii ab Amaryllide in se concepti suspicioni caprarius admiscuit *ἀπάγξασθαί με ποιησεῖς*, illud 'cuiusdam nativae dulcedinis' esse iudico. Atque simis naribus bene additur alterum grandioris turpitudinis signum *προγένειος*, quo caprarii cum capro comparationem festive continuari interpretes adnotaverunt. Et imitabatur hunc versus Vergilius ecl. VIII 3 'dumque tibi est odio mea fistula dumque capellae hirsutumque supercilium promissaque barba' et II 7 'o crudelis Alexi, nihil mea carmina curas? nil nostri miserere? mori me denique coges' et Calpurnius respexisse eum videtur III 86 'quod si turpis amor precibus — quod abominor — istis obstiterit, laqueum miseri nectemus ab illa ilice'. Ultima huius partis strophæ primam sententiarum congruentia contingit quod blande rursus appellans puellam amator aditum eius sibi fieri iubet. Difficile autem mihi videtur de controversa versus 18 scriptura decidere: nam τὸ πᾶν λίθος in libris est, λίπος e vetustis exemplaribus scholiastæ enotarunt. Qui priorem illam lectionem triplici ratione explanabant: ἕγγον σκληρὰ καὶ ἀπεγκτός, ἢ μονονοχί τοὺς ὀρώνας ἀπολιθοῦσα τῇ κάλλει — ἢ λευκὴ ὄλη οἷον ἄγαλμα μαρμάρινον. Quarum altera futilis est, tertia quamvis per se apta ad hunc tamen versus non idonea, quoniam nitorem 'splendentis Pario marmore purius' amicae si poeta intellegi voluisset, non poterat uno et ambiguo verbo λίθος dicere. Restat prima definitio interpretibus probata verum ne illa quidem vacans offensione. Nempe nusquam caprarius perditissime amans Amaryllidem convitioso aut maligniore increpat vocabulo quale hoc est τὸ πᾶν λίθος torporem animi atque atrocitatem significans; non saxeam eam esse etiam v. 39 dicit; Ahrentis vero coniecturam *ἄ δ'ύσσοος* v. 24 non modo non necessariam existimo verum etiam recte a Meinekio reprobata. Sed ut concitato animo ab obiurgatoriis vocabulis non temperaverit, quis non sentiet omnino non convenire

talia in hos versus quibus per blanditias complexus amicae osculaque aucupatur? a quibus reprehensionem amicae quantam libet necesse fuit abesse. Hoc Ahrentem perspexisse puto cum traditam a scholiastis scripturam τὸ πᾶν λίπος in versum reciperet, quam illi perperam aut ad ποθορεῦσα retulerunt (ἢ βλέπουσα λιπαρὸν τι καὶ λευκόν) sic ut Horatius Glycerae voltum lubricum adspici nominavit, aut pro alloquio habentes his verbis exposuere: εἰς ἣν ὀλισθαίνουσι πολλοὶ διὰ τὸν ἔρωτα ὀλισθηρὰ γὰρ τὰ λιπαρὰ χωρῖα: hoc tamen vere perceperunt debere in his verbis inesse blandimentum. Quod si ita dixit caprarius, pingui mehercule Minerva et parum delicate 'merum pingue' puellam nominavit, sive nitidum corpusculum accipimus in quo ossa non promineant sive colorem quasi pinguedine olei inductum (λιπαρόχρως). Verum non tam pro certo habeo λίπος scripsisse poetam quam non scripsisse λίθος. Deinceps versum 20 ἔστι καὶ ἐν κενεοῖσι φιλάμασιν ἀδέα τέριψις Ahrens servavit, Valckenarius quod XXVII4 repetitur deleri iussit: accedit quod si quis admitti ad puellam concupiscit ut exosculetur eam, is non flagitat oscula neque omnino cogitat inania sed mutuo amore perpetratam basiationem. Sublato igitur hoc versu in locum eius recte Hauptius (huius musei IV p. 273) substituit versum qui in libris vicesimus quartus est, quo et stropharum aequabilitati consulitur et ut gradatim actio comissantis progrediatur. Iam enim non exauditus ab Amaryllide descendit ad minationem desperationis plenam quae secundam idyllii partem primae comparem, quindecim versus ab 21 ad 36 complectitur: coronam quam gestet donum Amaryllidi ilico se discerpturum et undis mortem quaesiturum, hoc enim dulce puellae fore quam ad amorem suum obduruisse liquido didicerit, denique capellam quam ipsi reservaverit promptiori puellae se traditurum. Cuius partis primam et extremam stropham consimilibus rursus sententiis consonare poeta voluit (cf. v. 22 τὸν τοι ἐγὼν Ἀμαρυλλὶ φίλα κισσοῦ φύλασσω et v. 34 ἢ μὲν τοι λευκὰν διδυματόκον αἶγα φυλάσσω). Paenultima stropha v. 31 ss. scribenda sic erat:

εἶπε καὶ ἃ Γραιῶ τᾶλαθῆα κοσκινόματις
 χὰ πρὸν ποιολογεῦσα Παραιβᾶτις, ὄνεκ' ἐγὼ μὲν
 τὴν ὄλος ἐγκειμαι, τὸ δέ μεν λόγον οὐδένα ποιῆ.

Duobus enim vaticinandi generibus comperisse se ait puellae contumaciam, et a divinante per cribrum muliere et a venefica. Nam magam ὀλιζοτόμον significat illud ἃ πρὸν ποιολογεῦσα male ad spicilegium a scholiastis relatum. Qui insolenter παραπορευομένην θερισταῖς ἔριθον intellegebant

παραιβάτιν, simul tamen *ὄνομα κύριον* suspicabantur, idque iure ratum habuit Meinekius. In superiore versu *Ἀγροῖώ* libri exhibent, scholia haec tradunt *τινὲς ὄνομα κύριον τὸ Ἀγροῖώ· οὐδέπω γὰρ τὴν γραῖαν οὕτω φασίν*, unde Casaubonus conclusit lectum olim a quibusdam fuisse *ἄγραϊώ*. Quod nomen et recte fictum et pulcre (ct. *Κορυθαίς* VI 40) inutiliter D. Heinsius in *ἄγραία* mutavit, quoniam nomina mulierularum quo magis quotidianae vitae species simuletur adduntur. Denique tertia sequitur pars poematis qua cum bono omine tandem prodituram esse amicam caprarius confidat, denuo mentem eius miseratione permovere tentat. Dexter enim amatori oculus saliebat, quod augurium Calpurnius exeunte tertia ecloga imitatur in aliud deflectens: ubi cum Lycidas Iolae carmina sua ad Phyllidem deferenda mandaverit, sese ipsum procul astiturum fore vel acuta carice tectum vel propius latitantem vicini saepibus horti, Iolas haec respondet *ἴβimus, et veniet nisi me praesagia fallunt: nam bonus a dextra mihi fecit Tityrus omen, qui venit inventa non irritus ecce iuvenca*. Iam vero inclinatus caprarius ad pinum canere coepit: quae autem antecesserant quamvis ad stropharum exemplum expressa dubito an recitasse potius quam decantasse iudicandus sit *). Illa cantilena hoc agit ut illustribus heroibus sese comparans deorum divarumque mulierum exemplis quae illos amaverant Amaryllidem ad sui amorem pelliciat. Sic ut ipse poma offerebat Amaryllidi, pomis Atalantam ceperat Hippomenes: armenti pretio Bias Peronem acquisiverat: in opilione Adonide Venus insaniebat **): Endymioni sub antro Luna,

*) Sin vero cantata illa esse cum Hermanno statuamus, exordium cantus malo equidem a tertio versu repetere, quo ad alloquium oratio a meditatione transilit, quam a sexto. Tum prima pars carminis compari tertiae numero versuum constat, alterique strophae extrema sic respondet ut in Batti cantu X 26 et 36. Atque Vergilius ecl. IX 22 tres versus 3. 4. 5 pro ipso principio et proemio actionis amatoriae videtur habuisse. Eodemne valent post v. 3 iterata v. 18 verba *τὸ ζαλόν*?

**) Versui 48: Venus Adonidem *οὐδὲ φθήμενον ἄτερ μαζοῖο τίθητι* in Parisino aliquo libro adscripta haec sunt: *οὕτω γὰρ ἐν γραφῇ τινη ἦν ἐζωγραφημένη*, quibus sive textilia scholiasta designavit in XV. idyllio commemorata sive aliam concumbentium Veneris Adonidisque picturam qualis in vasis speculisque conspicitur, non absurde artis opera ad poesim comparantur. Nam multa in hoc maxime carminum genere signorum tabularumve argumentis tam similia quam ovum ovo reperiuntur, quippe quae aut idem unius aetatis ingenium et sensus et studium generaverit (velut Battum in quarto idyllio spinam pedi fictam scrutari cum legimus, quis non aeneos et marmoreos pueros recordetur?) aut secundum artium monumenta quorum tum copia urbes

Ceres in agro Iasioni se dederat. Tum extrema stropha quae primae (v. 37 ss.) renovat memoriam medius cantus abrumpitur: quippe dolere sibi caput, illam nihil curare:

οὐκέτ' αἰείδω,
 κεισεῦμαι δὲ πεσῶν, καὶ τοὶ λύκοι ὧδε μ' ἔδονται.
 ὡς μέλι τοι γλυκὺ τοῦτο κατὰ βρόχθοιο γένοιτο.

Ita vulgo hi versus cum edantur, non intellexerunt nullum amatorem licet furioso amore ardeat, tam deridicula iactare ut certe praeciseque dicat devoratum se iri a lupis. Verum pridem Boissonadus monstraverat disiungens κ' αἰ: neque de αἰ particula in hoc idyllio est quod dubites vel κεί praeferas:

κεισεῦμαι δὲ πεσῶν, καὶ τοὶ λύκοι ὧδε μ' ἔδονται,
 ὡς μέλι τοι γλυκὺ τοῦτο κατὰ βρόχθοιο γένοιτο —

'et si lupi sic iacentem me devorant, melle dulcius hoc tibi gutture descendat'. Neque nunc Gregorium librosque paucos quam plurimos et optimos sequi et ἔδονται quam ἔδονται probare malemus. Totum vero idyllum iam non inconditum sed ordine procedere et suum cuique parti terminum manifesta nota ipse poeta constituisse videbitur.

Pravum proportionis commensum, qui in tertio carmine abduxisse a recta via Ahrentem videtur, etiam antiquioribus interdum grammaticis in caussa fuisse puto ut interpolarent Theocritea. Velut II 61 versum subditivum: ἐκ θυμῷ δέ-
 δεμαι, ὁ δὲ μὲν λόγον οὐδένα ποιεῖ, qui et notam prae se

abundabant poeta expresserit. Pertinere huc puto illa VII 6: Χάλκωνος, Βούρειαν ὃς ἐκ ποδὸς ἄνυσε κράναν εὐ̄ ενερεισάμενος πέτρας γόνυ: ad quae vetusti interpretes varia et partim incredibilia adnotaverunt de nomine et historia fontis. Minime vero factum videri Meinekium quoque dixit hoc scholion: ὁ Χάλκων οὗτος ἵσταιται ἐν Κῶ ἀνδριῶς καὶ ἐκ τοῦ ποδὸς αὐτοῦ ἐκρέει πηγὴ (p. 238, 7 Ahr.) quod inepte alii sic auxerunt ut affirmarent ὅτι ὁ Χάλκων ἀνδριῶντα ἔστησεν εἰς τὸν τόπον ἐν ᾧ τὸ ὕδωρ εὐρέθη, καὶ ἐκ τοῦ ποδὸς τοῦ ἀνδριῶντος τὸ ὕδωρ ἐξήρχετο et ὅτι ὁ Χάλκων ἐκ τοῦ ποδὸς τοῦ ἀνδριῶντος ἤνυσε τὴν κρήνην Βούρειαν εὐ̄ καὶ καλῶς καὶ ἐπιστημόνως ενερεισάμενος τὸ γόνυ τοῦ ἀνδριῶντος ἐν τῇ πέτρᾳ τῇ πρὸς τῇ κρήνῃ (p. 240, 2). Hoc igitur antiquo testi credemus, statuum fuisse Chalconis in insula Coo ita expressam, ut ex pede eius emanare fons videretur. Neque falli existimo si quis secundum Theocritum non subsedissee eum placidove stetisse habitu coniecerit, verum tamquam fontem calcaret, pedem terrae impressisse cruris genu innixum in adiacentem rupem, quo maiorem ipsa planta vim haberet. Qualis patrii herois effigies, cuius opera Burina sub rupe prosiluit, non abhorret ab argutiis Lysippeae vel Eutychideae artis. Ceterum dubito finxerintne an vere tradiderint Βούρειαν nomen explicantes, ὅτι ἔξουσα ἐκ πέτρας διὰ βοὸς κεφαλῆς (p. 240, 19) vel ὅτι ἀπὸ κεφαλῆς βοὸς ἐκ λίθου πεποιτημένης ἐδόκει τὸ ὕδωρ ἐκρεῖν, quando re vera veteres aquarum circumdedisse constat scaturrigines leonum personis et bovum et Ammonis cornibus.

fert imperitiae et veram stropharum aequalitatem perturbat et a Mediolanensi libro scholiisque abest, primum inde natum esse conicias, quod parem cum proxima alterius partis periodo huius strophae numerum versuum existere voluerunt. *) At alii versus, si verba pendimus et testimonia, tantam veritatis fideique speciem praebent, ut abiudicare eos a poeta lubrica res videatur. Non nova tamen vel inaudita, si quidem iam Plutarchi aetate facticiis et male repetitis versibus (I 106 s.) corrupta Theocriti exempla circumferebantur. In quarto carmine Batti qui colloquium instituit septenis versibus totidem respondent Corydonis: tum duos quibus strigosa Battus vacca numero pascatur quaerit, tres Corydonis hi excipiunt:

οὐ Δῶν, ἀλλ' ὁκὰ μὲν νιν ἐπ' Αἰσάροιο νομείω
 18 καὶ μαλακῶ χόροιο καλὰν κόμνυθα δίδωμι,
 ἄλλοκα δὲ σκαίρει τὸ βαθύσκιον ἀμφὶ Λάτυμνον.

Quorum secundum non vulgaribus verbis compositum lectumque in omnibus codicibus, ab scholiasta, a Choerobosco, tamen tollendum esse censeo. Plane enim ut in hoc responsionis contextu inepte ille interponitur: 'modo ad Aesarum eam pasco et mollium herbarum pulcrum manipulum ei do, modo circa umbrosum Latymnum salit'. Quasi iuxta Aesarum tantummodo neque semper aut saepe sed interdum bonum bovi pabulum praeberet. Tale quid poeta si voluit significare, nonne hoc ordine dicere debebat 'ποτὲ μὲν ἐπ' Αἰσάρον νομείω ἀτῆν, ποτὲ δὲ σκαίρει ἀμφὶ Λάτυμνον, καὶ τῆν καλλίστην αἰεὶ (αὐτὴν καλὴν πολλὰκις αὐτὸ ποτὲ δὲ καλὴν μόνῃ) ἀτῆν δέσμην χόροιο δίδωμι? Neque Hartungus quidquam profecit hunc versum post eum collocans qui scquitur in libris, quod vel molestissimae personarum vices (νομείω — σκαίρει — δίδωμι) non sinunt probari. Immo inseruit illum nescio quis inter hos Corydonis versus, exaequaturus eos cum inferioribus tribus Batti. At rectissime reliqui duo (17 et 19) eis qui antecedunt respondebant, nec numero versuum cum Batto Corydonem hic par erat discrepare ubi non mutato orationis argumento simpliciter respondet. Favet autem interpolationis suspicioni quod et iteratur versus 18 in Mediolanensi exemplo post v. 25 et ibi *χόροιο* legitur. Deinceps ternos habemus Batti et Corydonis versus (cf. v. 20 *λεπτός μάν* — et 23 *καὶ μάν* —), tum tres Batti quolongioris Corydoni ansam dant embolii, deinde ternos ruri

*) Versum autem 60 exeuntem sic emendo:

— ὡς ἔτι καὶ νύξ,

'quamdiu etiam nox est'. Inde scholium: ἔως ἔτι ἐνδέχεται καταδειθῆναι αὐτόν.

sum utriusque versus. Iam vero Battus qua est mobilitate ingenii rem novam conspicatus unum versum et plus dimidium recitat: nam σίτθ' ὁ Λέπαργος verissime Ahrens Corydoni tribuit, quoniam pastorem, non alium, suis vitulum et iuvencam nominibus compellare et ab oliveto reicere consentaneum est. Prodit versus illa partitio fervidiorem orationem neque in ulla carminis parte plus vigoris et vehementiae actio quam hoc loco ostendit. Quocirca non pari utriusque versuum numero sed ante omnia ei rei operam demus ut apta utrique verba adsignentur. Nempe Corydonem iracunde iuvencam suam adloquentem (v. 46 s. et 49: οὐκ ἐξακούεις; — εἰ μὴ ἄπει — ὧς τυ πατάξω) probabile non est illis haec includere: ἴθ' αὖ πάλιν ἄδε ποθέσθην: sed Battum potius ad vaccae animadversionem his verbis iterum pastorem excitare. Corydonem autem rursus v. 49 loqui etiam additum a Batto in v. 50 Corydonis nomen docet. Qua in distributione versuum speciosis anteposui verisimilia; nam quia ratione nulla effeceris ut summa aequetur versuum Batti Corydonisque, aliquam semper inaequabilitatem relinqui patet.

Franciscus Buecheler.

P. 436. Facit huc etiam *Electri filia* vocata a Plauto Amphitr. prol. 99 *Ἀλκμήνη, θυγάτηρ λαοσσόου Ἠλεκτρούωνος*, et *Rhadamam* Trin. 923 probabiliter restitutum (cf. prol. Ritscheli p. 87): sed *dolum Troianum* Pseud. 1244 male Douza ad Dolonem rettulit. — P. 446. IOVIS nomen itidem atque in Moguntiaca lamina inscriptum in basi statuae araeve Gallicae ex archaeologia Brit. (vol. IX tab. XVII n. 9 coll. p. 222) commode mihi enotavit I. Beckerus. — P. 315 v. 13 intercidit τῆς articulus. Ceterum cum non praesto mihi sint excerpta a C. A. L. Federo edita neque quae ille emendavit in Nicolao, Muellerus in addendis plene indicaverit, factum esse audio ut non nulla ab illo dudum proposita iterum proponerem.

F. B.
